





23  
1777.44.  
73

IOH. THEOPHILVS SEGERVS  
H. T. PROCANCELLARIVS  
SVMMOS IVRIS SCIENTIAE HONORES

VIRO PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

CHRISTIANO GOTTLLOB BIENERO

SORBIGA MISNICO

D. X. APRIL. AN. CICIDGCLXXVII

IN AVDITORIO IVRE CONSULTORVM

SOLENNITER CONFERENDOS


INDICIT

---

Praemissa est Prolusio

de suprema rei iudicariae in Imperio potestate.





Cum ante hos annos tres, collatam IOH. GOTHO-  
FREDO NEVMANNO, viro amplissimo dignita-  
tem doctoris iurium indicaturi, de magistratum iuris dicun-  
di et iudicium apud Germanos differentia prolusionem breuem  
emittebamus, videbamur nobis detegere fontem multo-  
rum errorum, qui in longa atque ancipiti disputatione de  
iuris dicendi societate inter Augustum Imperatorem atque  
Imperii Ordines fuerunt admissi. Quae mens nostra ut  
satis intelligatur, nec durum videatur, quod scripsimus,  
plerisque controversiae eius actores nihil praeter logoma-  
chias in publicum edidisse, vremur opportunitate praefen-  
ti ad causas huius sententiae perspicue exprimendas.  
Quod enim argumentum aut hunc tempori, quo maxime  
per occasionem visitati nuper Iudicij Cameralis tum Impe-  
ratoris, tum Procerum iura hinc inde in dubitationem  
adducta sunt, magis conueniat, aut cum inaugurali libel-  
lo de iurisdictione ordinaria atque exenta, cui muneris  
causa praefari debemus, aptius coniungatur? Neque vero  
quae de scabinis in palatio Regum et Imperatorum, at-  
que in viuierum de varia iudiciorum Germaniae singulis

## IV

æstatibus forma destinatum est commentari, conabimur in angusta harum chartarum spatia coarctare. Iam enim id saltem agere animus fert, ut aperiamus faciles et perspicuas rationes, quibus tutissime constitui et sine Ordinum Imperii offensa atque iniuria affirmari possit ac debeat, supremam iuris dicendi potestatem in Imperio Romano Germanico antiquitus penes solum Imperatorem esse atque in iuribus Caesari reseruatis adhucendum custodiri.

Qua de re quam varie sensum sit, docet vel sola FLOERKII commemoratio tot ac tantorum virorum, qui eam quaestionem partim libris singularibus tractaverunt, partim cum aliis iuris publici capitibus coniunxerunt, et quorum tam insignem multitudinem (at quanto ex MOSERI PVITTERI que illustrium virorum indicibus numero, si placet, augendam!) ille laudavit pererudita disputatione Halensi de *consortio Imperatoris et statuum Imperii in potestate legislatoria et iudicaria*, genuino fundamento recursus ad comitia §. XXXVII. Ex his, qui ad vnum Imperatorem summam iuris dicendi potestatem in Germania non pertinere contendunt, alii HIPPOLYTVM A LAPIDE ducem fecuti, de eo Caesari iure non melius, quam de caeteris statuunt, alii meliore disciplina erudit, ut diuersa sunt hominum ingenia, nonnulli ab antiquissimis temporibus iudicia ab Ordinibus cum Imperatore legibus constituta esse existimant, opinantibus caeteris initia eius communionis in supremis Imperii tribunalibus non ultra Maximiliani I. ætatem, quin in excelsa Aulae Imperialis Consilio indubia historiarum fide multo serius reperiri.

Iam

Iam si quis negare audeat, Proceres Germanici regni constitutionum publicarum auctoritate et vsu in supremae rei iudicariae societatem venire, merito is omni responsione indignus temporibus nostris iudicetur. At eius virum illa pars ante iudicij Cameralis ordinationem ab ipsorum arbitrio consensu que pependerit, nuper admodum docte quaesuit perillustris BVRGSDORFIUS, quem licet honoris causa appellare, (*über die Frage: ob die Staende vor Errichtung des Cammergerichts Antheil an der teutschen Gerichtsbarkeit gehabt?*) saepissime que acta est argumentis utrinque validis controversia, ad hunc usque diem ne inter eruditissimos quidem viros omnino composita ac sopia. Mihi quidem sic statuendum videtur. Praefuit ab antiquissimo tempore vel ipse Imperator iudicis, maxime in solenni curia, vel in omnium etiam Ordinum conuentu habitis, vel constituti a Caesare magistratus, veluti Comes Palatii, aut Iudex aulae imperialis, rexerunt ea praesidio suo. Nihil vero decretum pronunciatum que, nisi de consilio iudicium. Ita Lotharius I. Imp. apud NITHARDVM in libro de dissensionibus filiorum LVDOVICI Pii profitetur se consilio fidelium suorum in omnibus parere velle, et tantum abest, ut sequentes Reges ab ea Imperii lege soluti sint, ut eam potius tanquam fortissimum libertatis sua monumentum Germani Proceres usque custodiant. Hoc igitur tali rerum actu ac constitutione praesidentium iuris dicundi magistratum iudicium que siue ab ipso Augustali oraculo, siue per medios magistratus profecta, cum iure cogendi reos, tum ut se in iudicio sisterent, tum ut iudicium sententiis obedirent, iuris dicundi potestas, qualis ante Maximiliani I. tempora apud solum Caesarem fuit, tota quanta continebatur, Nunquam vero Imperatores

A 3

nisi

## VII

nisi causā a iudicibus cognita habito que consilio de-  
creuerunt. Contrariam opinionem inualidis testimoniis approbare conatus est IOH. FRIDERICVS KAY-  
SER, nempe personatus ille CAESARINVS FVER-  
STENERIVS. (*in der Abhandlung von der Kaisers iu-  
risdiction §. 2.*) Quanquam enim cum paribus etiam  
alii viri prudentes, et rerum gnari, atque in primis ab eo  
tempore, quo peregrinarum legum scientia in iudicibus  
exigebatur, saepe aliqui iuris Romani doctores ante ho-  
diernam Cameran' constitutam in consilium Augustorum  
nostrorum sensim adhibiti, nec omnino a Principibus reie-  
cti fuerunt, caue tamen, consilium paritatem que iu-  
dicum in ciuilibus iudiciis nullo iure postulata esse existi-  
mes, cum de hac vel seculo XIII. admodum obseruata  
IUS PROVINC. SAXON. lib. II. art. 12. testetur, ne-  
dam FVRSTENERIO largiaris, in quibus historiarum  
monumentis ipsi Caesares iudicasse legantur, ob non expre-  
sam consilii mentionem tutam silentio fidem esse, recte  
quod argui, Imperatores inconsulis iudicibus statuisse.  
Quod in beneficiario, iure diutius paritas iudicum perdu-  
rauit, mutuis inter dominum et clientem contentionibus  
tribuendum est; sed paritatis poscenda ratio ab anti-  
quissimo iudiciorum omnium more duxa. Vtique ve-  
ro non personae tantum dignitatem, sed modum etiam  
et ordinem, quo bona in item deducta tenerentur,  
adeoque ipsarum causarum indolem in paritate iudicum  
existimanda veteres respexerunt. Nam quo iure An-  
gliae Reges ob Ducatus et Comitatus, quos a Rege  
Franciae in feudum tenebant, inter Pares regni illius  
consebantur, eodem apud nos nemo maioris dignitatis  
praerogativa potuit iudicium parium recusare, quos a  
mino-

minorum honorum possessione dominoue consecutus fuisset. Quo facilis in causis pecuniarum rerumque inobilium, quarum commune omnibus esset commercium, iudices etiam dignitate inferiores pro idoneis habiti. Quanquam huiusce modi causae raro etiam olim ad Imperatorem deferebantur, saepius, si cum potentibus agerentur, priuatorum arbitrorum iudicio permittenda, nec tanta appellationum frequentia, quantani hoc seculum sibi indulget. Igitur in tanta rerum personarumque diversitate facile res eo deducta est, ut de primariis quidem ordinum causis per maximum comitiatum, certe in maiori consilio, quo Imperatores solennium curiarum celebritas instruebat, et cuius vices Maximiliani I. et Caroli V. instituto non tam Regimentum Imperii, quam Imperialis Aulae consilium supplere debebat, cognosceretur; de minoribus vero, in iudicio curiae Imperialis, quod per illuſtris BLVMIVS scitissime delineauit, aut etiam in Curiae Rothuſensis aliisque inferioribus Imperatorum iudiciis, nec sine prouocatione tamen, decerneretur.

Nihil de delegatis iudicibus, nec de camerali iudicio dicam, quod ante Maximilianum I. commemoratur. V. SENKENEERG. praefat. libri egregii von des Kayssers höchsten Gerichtsbarkeit in Teutschland §. VII. et quos ibi laudauit. Hoc certum est, et in Aulae et in Camerae Imperialis iudiciis omnibus que aliis assedisse, qui cognita causa sententiam rogarentur, atque in eorum deletu pro iudiciorum dignitate et gradu olim habitam esse hanc rationem, ut rei, nisi singulos, certe non nullos in uno quoque confessu Pares reperirent. Ipse BLVMIVS l. I. §. IX. et XV. praeter milites et Dynastas in veteri Curiae Imperialis iudicio Comites etiam, Priucipes ac Duces,

quos

## VIII

quos cum ipsis Principibus Electoribus Dynastarum nomen inuoluat, Assessorum munere functos esse edocuit. Quod autem ille scribit, et secundum eum ac per illud rem HARPRECHT. (*Staats-Archiv des Cammergerichts T. I. §. 46.*) OHLENSCHLAGERVS disputat, (*Neue Erleuterung der güldnen Bulle §. LXVIII. n. 16. p. 268.*) imperante Friderico III. principes imperii nouum ius postulasse, cum iudices sibi pares, id est, ex Electorum, Principum, Comitum, Dynastarum delegatorum que ex vrbibus imperialibus ordine peterent, cogitanti antiquum morem iudicia aequae ac consultationes de republica exercendi in conuentibus populi, vnde veras Curiae Parium origines IOH. IACOB. MASCOVIVS duxit, (*de Paribus Curiae §. VIII.*) et iudiciorum, insecuris ad Friderici III. aetatem temporibus, statum, actorum in solennibus saepe curiis publicis que conuentibus, aliter profecto non persuadet debitur, quam hac adiecta conditione, ut certe quosdam ex paribus in unoquoque iudicio assedisse, atque id pro iure obseruatum esse consentiant. Nam si quis Guestphalcorum iudiciorum formam mihi obliiciat, in quibus extrema aetate puduerit nobiles atque illustres viros Scabinorum officio fungi, et quae nihilo minus ausa sint Principibus adeo ipsi que Imperatori Friderico III. diem dicere, sane inter Guesthalicos Scatiuos non deerant Principes, quanquam magna apud multos infamia corruptissima illa iudicia eo seculo vrgebantur. Id vero ordinariorum perpetuorumque iudicium constitutio habuisse videtur naturale et proprium, ut pro diversa reorum dignitate ac statu ipsi etiam iudices ex diuersis ordinibus deligerentur. Igitur quod de Sicilia MARINVS FRECCIA nobilis operis de *subfeudis Baronum* lib. II. f. 245. n. II. scribit

bit, Comites et Barones regni, cum pro criminibus accusentur, per iudices ordinarios non damnari aut absoluiri, nisi cum interuentu aliorum Parium; ut si sit Comes cum interuentu duorum Comitum, si sit Dux, cum interuentu Ducum, et si sit Baro, cum assistentia Baronum: quemadmodum haec antiquae libertatis vestigia nunc in feudalibus passim curiis per Germaniam deprehenduntur, sic in cibilibus etiam causis ante Friderici III. tempora aliquam similem obseruationem apud maiores nostros fuisse opinor, et si forte temporum praeteritorum iniuria non tam certam atque perpetuam.

Quicquid eius rei sit, omnis rerum regnante Friderico III. in comitiis gestarum memoria et consultationes Statuum de iudiciis salubriter emendandis, quam illi curam iudiciorum non improbante sollicitudinem Imperatore egerint, plane ostendunt. Saepe etiam graues de iustitia in territoriis Principum male administrata in conventibus Imperii publicis quarelæ auditæ, et prouincialium malorum emendatio communis securitatis atque utilitatis causa in publicam totius Imperii curam conuersa. De his quidem prouincialibus Principum iudiciis pro consilio nostro satis sit animaduertere, ea quanquam hodie in manu Principum sunt et iuris dicendi potestas superioritatis territorialis necessariam partem constituit, recte tamen huius iurisdictionis origines ab imperatoria maiestate arcessi. Nam eti moribus Germanorum conuechiebat aliquam dicendi iuris potestatem cum dominio copulare, quam rationem optime omnium perspexit atque exposuit SENKENBERGIVS l. l. vni tamen Imperatori antiqua imperii lex dederat, iudicia tuendæ pacis habere de que liberorum hominum personalibus causis ius dicere. Imperatores cum soli huic tanto officio in dissitis regionibus pares esse non possent, Duces, Comites, Advo-

B

vo-

vocatos, Scultetos, qui per regiones, pagos et oppida ius dicerent, i capitalibus que iudicis praefuerint, constituerunt, missis etiam interdum nunciis siue legatis maiore, quam Comitibus data esset, cum potestate. Sed mox ea Missorum siue nunciorum, quod a Pontificibus hodieque usurpatum nomen formula pacis Constantiensis seruavit, dignitas et vis omnis in Ducum et vtriusque ordinis Principum atque adeo in potentiorum quorundam Comitibus cessit, quod nouas subinde et maximas a perpetuitate accessiones incrementa que habuit, donec tandem hodierna superioritatis territorialis forma ex vicaria olim administratione exiret. Sed uti compages Imperii felici fato non dissoluta est, sed tot ac tanta proiuinciae uno omnes ciuili vinculo continentur, ita Principes quam iuris dicundi potestatem, quantumuis magnam atque insignem legibus Imperii ita submittunt, ut et supremam eius tutelam, et inspektionem a Caesare stipulentur, a plerisque etiam prouocatio sit ad Augusta Imperii tribunalia.

Hoc rei publicae statu considerato quis dubiter, plane nulla ratione fieri potuisse, vt omnem iudiciorum Imperii, in quibus male ordinatis atque exercitis maiorum minorumque fortunae et facultates, et ciuium ac prouinциarum salus periclitarentur, curam atque sollicitudinem quasi a se alienam Proceres Imperatori soli velinquerent, nec potuisse Imperatorem publicae saluti intentum liberratis que Ordinum tutorem ac vindicem monita eorum atque auxilia emendandis rei iudicariae corruptelis oblatu reprehendere. Mihi quidem Fridericus III. quem aiunt nihil de hoc iure remittere voluisse, idem, quod Maximilianus I. magnificentissime praefuerit, videretur tranquillitatim Ordinum populorum que daturus fuisse, nisi honorem consilii et felicissimae executionis gloriam fata Maximiliano filio, Principi ad omnia magna nato

nato facto que destinauissent. Hic eruditissimus Imperator Germanicarum que antiquitatum peritissimus cum optime intelligeret atque perspiceret, mutata Imperialis Curiae veterum que iudiciorum publicis in conuentibus crebrius habitorum forma, denique multitudine grauiissimorum in aula negotiorum effectum esse, ut iustae Statuum querelae tum de inopia iudicis, tum saepe de ipsis iudicibus audirentur, allatus vtrique malo medelam, tuenda pacis publicae maturanda que iustitiae caussa novum Camerale iudicium ordinauit atque extra aulam constituit, illi que sedecim assessores qui sub praesidio Iudicis caussas cognoscerent, consilio consensi que Ordinum in ipsis statim comitiis allegendos decreuit, v. Ord. Iud. Cam. de an. 1495. lit. I. §. I. Quibus deinde caussis ac legibus factum sit, vt certum ac perpetuum ius praesentandi assessores Cameræ Nouemuirii atque Circuli nanciscerentur, supplente numerum legitimum ipso Augusto, cui etiam Praefidum nominatio, veluti ipsius Iudicis, soli relicta est, limpida nuper, vt solet, perspicuitate exposuit perillustris PITTERRVS præfatione novo concluso imperii de emendatione iudicij Cameralis præmissa. Proxime ad nostram rem pertinet eundem in Regimento imperii, cui iuris reddendi potestas ad annum usque 1524. permisla, constituento modum esse seruatum. Consilio autem Imperatoris aulico inter caeteras iniudiae caussas etiam haec fuit, quod consiliarios Caesar pro arbitrio sine praescitu atque assensione Statuum legit, quanquam in hoc morem antecessorum suorum Maximilianus retinuit. Sed questi sunt Status, Austriae maiorem, quam Imperii, in eo consilio rationem haberit: deinde in quam communionem iudicariae rei admissi sint constituto Camerali iudicio, hanc Caesaris pro eo tribunali cognitionibus tolli: denique maiores Principum caussas, auctoritate veteris con-

B 2

sue-

suetudinīs non extra Curiam Parium conuentusque publicos iudicandas ideo que a Camerae potestate exemtas in eo consilio, magis etiam, quam Camera, Optimatibus suspecto, cognosci. Tametsi vero Ferdinandus I. Austriacas causas ab Imperii rebus sciunxit, has que Senatu Imperii Aulico solas commisit, notae tamen graues et longae contentiones tum super ipsa iudicij abs que Statuum consensu constituti potestate, tum super lege iudicaria inconsultis Proceribus praescripta, donec tandem pace Osnabrugensi auctoritas illius iudicij, denique lege regia Caroli VI. eiusdem ordinatio a Ferdinandō III. repetita, ac tum quidem Caroli VII. nunc vero etiam Augustissimi Imp. Iosephi II. decreto emendata et aucta agnosceretur.

In his vti Statuum curam salutis publicae animaduer-  
tas, qui etiam dignitati horum iudiciorum et aequalitati  
religionis notissimis conventionibus publicis prospexerunt,  
nunquam tamen a me impetrare potui, vt supremam iuris  
dicundi potestatem ab Imperatore cum Statibus vere com-  
municatam esse concederem. Nam quicquid iuris a Proceri-  
bus exercetur, partim ad rei iudicariae ordinationem  
emendationem que, quae legislatoriae potestatis pars est,  
adeo que in Imperio nostro non nisi cum consensu Proce-  
rum administranda, partim ad notionem facti, diuersam  
illam, vti alio tempore demonstrauimus, etiam Germanicis  
moribus a iurisdictione atque imperio pertinet. Postu-  
lantibus, vt in causis Statuum delecti ex ipsis iudices  
cognoscerent, primum vt omnis inuidia declinaretur, ius  
praesentandi Camerae afflōres tributum est, qui tamen,  
praesentationis et constitutionis discriminē obseruato, non  
ab ipsis, verum a Caesare solo constituuntur: deinde, etsi  
post longas de iudicio Principum instaurando contentiones  
tandem in id animi conspirauerunt, vt in causis priuatio-  
nis feudorum et proscriptionis Statuum acta quidem in

Im-

Imperiū iudicio ad ferendam sententiam instrui debeant, tum  
vero caussā ad Comitia deferri: in his per delegatos trium Or-  
dinum cognita, Status ipsi decernant, et sententia probata  
ab Imperatore nomine eius promulgetur: nec tamen in eo  
quicquam maiestati Imperatoris decessisse, nec veram iudi-  
cariæ potestatis partem ea re ad Optimates translatam esse  
reperio, qui mihi ferenda sententia magis antiquam consilii  
gloriam tueri, quam ius Augustorum minuisse videntur.  
Visitationem iudicii Cameralis, (neque enim quod de Se-  
nato aulico habet I. P. O. art. V. §. 55. commemorabi-  
mus) cum auctorū sententiārum que revisione, atque  
emendationem decretorum, recursu forte ad comitia facto,  
deriuare ex iure supremae inspectionis, in cuius sollicititudi-  
nis partem Ordines a Caesare conuocati sint, praeclare  
ostenderunt periustris DAN. NETTELBLAD. (Beweis  
dass die aufscheinende Gewalt der wahre Grund der Cammerge-  
richtsvisitation sey: in den Erläuterungen einiger einzelnen  
Lehren des Staatsrechts n. IX. p. 109.) et consultissimus at-  
que amicissimus BIDERMANNVS disp. doctiss. de visita-  
tione et revisione camerali, tanquam caussa regiminis vi poten-  
tias inspectoriae instituenda. Denique tuendae iudiciorum  
auctoritatis curam omnem ius que intercedendi, ne noua  
Imperiū tribunalia erigantur nec constitutorum forma sine  
Statuum consilio consensu que mutetur, non tam cum iu-  
risdictione, quam cum legum ferendarum atque ordinan-  
dae rei publicae potestate coniunctam esse quis dubitet?

Caeterum cum leges imperii proflentur a iudice cum  
Praesidibus et assessoribus Camerae, personam non praesen-  
tantis a praesentato, sed Caesaris ac viuorum Statuum  
sustineri, vetus publicorum conuentuum imago eleganter  
exprimitur, quibus ipsi Caesares cum iuri dicundi poten-  
tiae praefuerunt, assidentibus atque audientibus caussas  
Principibus.

Hic Principum in iudicis interuentus iurisdictionem Imperatorum nostrorum non minuit ac conuulsit, sed misericordie ornauit ac robosauit.

Sed finienda est disputatio dicendum que de clarissimo Candidato, cuius causa haec scribimus. Quippe decreuit Ordo noster.

**VIRO PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
CHRISTIANO GOTTLLOB BIENERO**

SORBIGA MISNICO.

supremos utriusque iuris honores. Quos ego quidem tanto maiore cum voluptate annuncio, quanto obstinatorem viri optimi diligentiam in meis etiam scholis diu cognoui, quanto que fructuosiorem Eius doctrinam, si Deus Ipsi, quod precor, vitam viresque concederet, et litteris et huic academiae fore praetulideo. De vita sua haec ad me scriptis:

Sorbigae in Misnia natus sum a. d. IV. Id. Ianuar. MDCCXLVIII. patrem natum Ioannem VVilhelnum Bienerum, in arte medica Licentiationem, matrem Ioannam Chrlfianam e gente Ottoria oriundam: quos parentes ut summum Numen quam diutissime saluos et fonsipes conservet, risque senectutem quietam et beatam largiatur, supplex ora. His artibus, quibus puerilis aetas imbiui solet, praesertim ab ipso patre instructus studiorum gratia Portam, illustre Saxoniae Lyceum, me contuli ibique ab anno huius Seculi LXII. usque ad annum LXVIII. doctissimum virorum Grabneri, VValtheri, Kettheri, Beckeri, Henschelii, Barthii, Geisleri, Ferberi et Hübchii disciplina usus sum. Quibus praecceptoribus, summas quas possum, gratias ago habeoque. Concessi inde Wittenbergam anno LXVIII. nomen in albo studiosorum die XXV. hunc Reddore Magnifico Ioanne Danièle Titio professus. Animam quidem philosophicam atque physicis disciplinis subigerunt Viri Magnifici atque Excellentissimi Hillerus et Titius. Cum autem iurisprudentiam prin-

principali studio colere constituisse, ad Illustres atque Magnos Viros Chladenum, Krausum, Fischerum, Paulum, Wiesandum, Hommelum, Reinhardam et Kügelium me applicui, venerorque hos mos praeceptores, qui mihi via ad Themidos templum monstrata pedus studio eo perueniendi inflamarunt. Quod vero a latere Viri Sunni Ritteri, cuius cineres calo, nunquam fere discesserim et totus ab ore eius pependerim, me non poenitet ipsique acceptum refero, si quam tum uniuersae, cum in primis Germanicae historiae discendae ratione imbibit. Denique studiorum ampliandorum gratia hic Lipsiam concessi an. LXXI. receptus in numerum studiorum a Rectori Magistri Antonio Guilielmo Plazio. Contigit multa hic frequentare scholas Virorum Magistariorum, Sunime Reuerendorum, atque Excellentissimorum Hominum, Zelleri, Segeri, Boehmii et Sammetii, eaque, quae studiis academicis deesse videbantur, suppede. Hommelius quidem meius Canonicum edocuit, iadisque eleganteris iurisprudentiae fundamentis in scholis Sammetianis me ad praxin formandum dedi Zolero, hauriens interea ex ore Segeri, quae ad cognoscendam iurium Germaniorum familiam pertinere videbantur; Eochmii vero praelectiones ad historiam in primis Saxoniam addiscendam frequentauit. Specimen qualemque diligentiae academicae editiurus dissertationem iuris Romani et Germanici de Apibus praefide V. ill. Ioanne Theophilo Segero a. LXXIII. ad disruptandum proposui. Praeter spem autem viri cuiusdam doctissimi, quem euergetam et fortunarum mearum statorem veneror, benefacere nec nominari amantis, commendatione factum est, ut comes studiorumque socius Generosissimus et optimae spei iuuenibus de Kutzschchenbach, equitibus Saxoniciis, adiungeret. Inde mihi nata est occasio noua non solum retrahendi studia academica, sed etiam, quae adhuc deesse videbantur, suppendi ex scholis iuridicis, historicis et philosophicis. Virorum Illustrium atque Excellentissimorum Segeri, Schotti, Sammetii, Seydlitzii et Wenckii. Atque interea non solum impetravi a Principe Serenissimo, ut in numerum Aduocatorum recuperer,  
sed

*sed coepi etiam, vniā data, et forensibus negotiis me immisceri  
et uno anno abhinc scholas praesertim iuridicas aperire.*

Nempe ante, quam eas scholas indiceret, legitimo examine magna cum laude superato fuerat prima iurisprudentiae laurea a iure consultorum Ordine decoratus. Nuper vero ab eodem Ordine petiti, ut ad alterum examen admitteretur, quo magis de Eius doctrina summis vtriusque iuris honoribus ornanda constaret. Tentatus multis et variis quaestionibus ex omni iurisprudentia spem nostram non impleuit, sed superauit, vnanimi suffragio dignissimus iudicatus qui doctor vtriusque iuris renuncietur. Itaque ex decreto Ordinis proximo die VIII. Aprilis hor. pomeridiana II. publicam lectionem in auditorio Iureconsultorum habebit, postero autem die X. disputationem inauguralem de iurisdictione ordinaria et exenta doctissime diligentissime que conscriptam h. l. q. c. sine praeside defendet. Quo facto Vir magnificus atque amplissimus, IO SIAS LVDO VIVVS ERNESTVS PVT MANNVS, iuris vtriusque doctor, Tit. de V. S. et R. I. Professor ordinarius et Collegii I. Ctorum Assessor, Collega honoratissimus, cui clementissime constitutus Procancellarius Promotoris munus delegauit, summos iuris scientiae honores doctorum que ad locum in Ordine nostro non aspirantium iura ac priuilegia eruditissimo Candidato conferet.

Sed ut laetiora sint nouae dignitatis auspicia, rogamus VOS, RECTOR ACADEMICAЕ MAGNIFICE, ILLV STRISSIMI COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REI PUBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI HUMANISSIMI QE COMMILITONES, officiose ac perainanter, velitis Vestra praeSENTIA solennitati splendorem asserre, Vefram que erga Ordinem nostrum toties spectatam benivolentiam atque amorem hoc nouo beneficio quod omni data occasione demerere studebimus, demonstrare.  
P. P. Lipsiae d. VI. April. an. CIO ID CC. LXXVII.

**ULB Halle**  
005 377 420

3





1777.44.  
13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

3  
**IOH. THEOPHILVS SEGERVS**  
**H. T. PROCANCELLARIVS**  
**SVMMOS IVRIS SCIENTIAE HONORES**  
**VIRO PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO**  
**CHRISTIANO GOTTLLOB BIENERO**  
**SORBIGA MISNICO**  
**D<sup>r</sup>. X. APRIL. AN. CICIDGCLXXVII**  
**IN AVDITORIO IVRE CONSVLTORVM**  
**SOLENNITER CONFERENDOS**

I N D I C I T

*Praemissa est Prolusio*

*de suprema rei iudicariae in Imperio potestate.*

